

REGULUS

13

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

ME. O magne Regule, o vir singularis! auferto meae
 Totius vitae laudem pro hoc uno facto, quod ad deos
 Attollit te. — RE. Optumest mihi; ardor vobis excitatus est
 Romanus. Gratia tibi, Diespiter. Sed quid moror?
 Coram vobis, patres, devoveo meum canum caput
 Diis orcinis. Appello te, Pluto formidabilis,
 Voco te, Hecate! Ad vos me recipiatis; si quid patriae
 Periculum imminent, illud me deprehendat. O dii,
 Respectate sultis benignius meum piaculum.
 Meum iam peractumst sacrificium. Iam vos agite.
 ME. Fortasse convenit hoc decretum, quod ad vos defero.
 Tu scribe, Caepio: consul suadet et patribus placet,
 Ne captivei redimantur, ut docet prudenter Regulus,
 Istuc salute Romanae civitatis postularier.
 Senatus illi habet pro hac re gratis maxumas.
 Etiam nepotes grati commemorabunt posteri,
 Quam se generose Regulus dis orcinis devoverit.
 Hoc liberum sanctumque oportet esse sacrificium.
 Gaudebimus, precibus si nostris motus cesserit
 Et se cum cunctis captiveis Karthaginensibus
 Mutari siverit. At si nil istius magnum animum percutit
 Et sese abscedere perseverat, nemo illum sustinet.
 Tum dis sacramum Regulum, virum fortissimum,
 Sequatur tristis civium cunctorum lamentatio.
 VA. Sequentur me, qui cupiunt morte istunc liberarier!
 RE. Quirine, Romanae salutem civitatis respice!

SCENA III.

VALERIUS, PUBLIUS, MANLIUS.


VA. Ergo tam pauci sunt, qui me sequuntur? Hei Publius!
 PU. Letale somnium... — VA. Tribune et fili, expurgiscere!
 PU. Num idecirco resurgam, ut faciam caedem patriae?
 MA. Iam mitte sis virum hunc mollem, viden, ut timeat?
 PU. Nam quis audet timidum me dicere? — MA. Fortitudo cernitur
 In factis. — PU. Ibo pol ego obviam morti fortiter,
 Sed non irae mei patris. — MA. Edepol quam tu meres,
 Quom vitam ei servare possis, immotus manes.
 (Ad proximum numerum).

ALMA
ROMAQVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE

TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **ALMAE ROMAE** collectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Februario MCMXXXVII

Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequais; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

SANCTISSIMO PATRI PIO PP. XI

AEGROTANTI

VOTUM ET AUGURIUM

PONTIFICATUS AN. XVI INEUNTE

*Quaenam continuo tetra est diffusa per Orbem
moesties? Lacrymis cur rigat ora dolor?
Quid gentes mussant inter se, quidve loquuntur
cautim, quidve petunt discere, quidve timent?
Nuncius heu dirus nostras pervenit ad aures,
quo, iam laeta prius, territa corda manent;
nam Patris aetherei qui nomine temperat Orbem,
Romanae Fidei regnat et imperio,
saevo correptus morbo, languentia membra
cogitur inviso detinuisse toro.*

*Spasmate sed quamvis nimium confixus acuto,
humida dum fidens lumina ad astra levat,
sic rogat: « Omnipotens doleo, sed plura dolebo
— inquit —, si populis proficere hoc valeat.
Si venae occlusae, si crura tumentia, nostris
si membris aliis debet inesse dolor,*



*hoc mihi sit meritum, Tu servo indulge fideli,
 et bonus exaudi vota precesque meas.*
*Da pacem populis; cunctos Te agnoscere Patrem
 fac, sit et unus grex, unaque septa petant ».*
*Sic Patris Indigetis Patrem vox alma precatur
 caelestem, et se offert victima grata Deo.*
*Caelum at Christiades votis precibusque fatigant,
 Pastorem ut reddat sospitem et in columem.*
*Ipse Illi adsistat medicae Deus arbiter artis,
 hac tantum poterit convaluisse via.*
*Pectora sollicitus nobis timor anxius urget,
 effusas populus congeminatque preces.*
*De caelo Illius si quid meruere labores,
 et si quid nullo crimine laesa Fides,*
*det Deus Illi Nestorem superare senectam,
 nam vita est nobis carior atque anima.*
*Ipse anima est nobis et vita carior, aut si
 quid vita ipsa, ipsa aut carius est anima.*
*Caelesti extorres patria, rerum omnium egenos,
 dextera nos caelo numina respiciant.*
*Sospite certe Illo nobis nil triste timendum,
 sospes namque docet pabula sancta sequi.*
*Hoc custode, lupus nostri insidiator ovilis
 non abigit pecudes, fur neque raptat oves.*
*At vos terrarum praesentia numina, Sancti,
 queis Ille altaris donat honore coli,
 vos vestrasque preces precibus coniungite nostris,
 nam noster debet vester et esse dolor.*
*Assiduis urgete Deum votis precibusque;
 mitior assiduas audiet ille preces.*
*Incolumis servatus, si hoc pietate meremur,
 iam repetat nostros Pastor amatus agros.*
*Et nos pro Illius dabimus tunc vota salute,
 et dabimus vestris tunc pia thura focis.*

*Sed reddit alma salus, spes nostraque corda serenat,
 Oh! votis clemens annuat Omniparens.*
*Macte animo, Pater, egregio, et praestantibus ausis,
 quae metam spectant, omnia perge sequi.*
*Et celeres vos ite dies, decrescite noctes,
 dum repeatet nostros Pastor amatus agros.*

Romae.

TITUS BELLATRECCIA.

DE LATINE DICENDI GENERE DELIGENDO

Quale sit eligendum latine dicendi genus disserit Georgius Lurz, monacensis doctor, in commentario «Societatis Latinae» (ann. IV, fasc. 4, decembr. 1936). Cui nemo assentiri non poterit quum docet variis inter ipsos romanos scriptores adhibita fuisse dicendi genera pro vario rerum quae agerentur genere; ideoque absonum esse hodie si quis unicum praesumeret dicendi genus propugnare, ceteris procul explosis. Atque, ad exemplum, iure meritoque idem distinguit inter dicendi genus ad pontificum encyclicas litteras adhibitum «et ad eas relationes, quae radiophonica statione vaticana de omni pervestigationum scientificarum genere» divulgabantur, quasque nostrum hoc praeconium politiore quadam forma solebat referre.

Itaque desipere plane dicendus erit, qui unum Ciceronem exemplo proposuerit, posthabitis ceteris omnibus qui et postea floruerunt, nec modo inter ethnicos, sed et inter christianos. Nullam enim aetatem censeo caruisse plane his viris quos «classicos» dixerim pro sua quemque aetate; nam uti Itali nos e classicis non expungimus Manzonium, licet in immensum distet ab Aligherio, ita dicendum censeo de iis

qui latine per saecula scripserint, a Plauto et Terentio ad novissimos usque, ad Leonem XIII, ad Pascolium, ad Gandinum, ad nostri huius praeconii ipsum et conditorem et moderatorem.

Evidem non diffiteor post barbaras in romanum imperium illuviones sermonem quoque latinum fuisse corruptum, nec in vulgo dumtaxat, sed et apud doctos; extincta tamen latina lingua nunquam est; immo vero, ab aliis doctis viris alacri studio exculta politeque ad vitae usus accommodata, novam veluti animam hausit ab anima Ecclesiae, latiusque deducta, facta est vere universi orbis, universae hominum consortium vividissima lingua; suaque servavit varia dicendi genera, quae apud Romanos habuerat, quaeque nunquam postea non habuit, ad omnes vitae usus apta. Quodsi Napoleon post editum gallice italicique codicem, latinam quoque iussit huic adiici versionem, profecto id argumento est non in Ecclesiae modo, sed in Civitatis ipsius vita latinam animam nunquam fuisse extinctam plane.

Quamobrem qui student hodie latini sermonis usui renovando, meminerint stratam iam esse viam a maioribus, nec a vetustis modo, sed a novis atque a novissimis, dumne adeo emunctae naris esse velimus quibus nihil in rerum natura, nihil in hominum moribus satis sit unquam; quibus magis lubet destruere quam extruere, ma-

gis omnem rem innovandam praedicare, quam innovando conservare, conservandoque innovare.

Quo sane consilio, si de se loqui liceat, quum mihi proposuerim universa iura quae apud varias hodie vigent Civitates perscrutari, et quidquid profecerim promere, nullam inveni linguam aptiorem quam latinam; idque in praeludio his monui verbis: « quos omnes qualescumque labores nonnihil praeterea profuturos et laicis iuris studiosis et utrique clero confido, cui divinitus commissa est docenda, administranda, provehenda veri nominis iustitia... Demum nemo ignorat hodie undique excitata esse studia renovandi inter doctiores linguae latinae usus: qua in re non pauci novum quoddam quasi evangelium sese nunciaturos iactant, contra non paucos qui dictitant hanc rem esse desperandam, eoque res novae non possint vetusta demortuaque lingua proferri. Utique autem, siquid opinamur, aberrare procul a rerum veritate videntur, atque in id unum consentire, quod censeant latinam linguam demortuam obsoleuisse iamdudum. At vero nec mortua unquam est, nec novis exprimendis rebus minus apta: utrumque iis constat qui ea familiariter, nec tamen inconcinne prorsus, cotidie usi sunt atque dudum utuntur. Itaque et his conantibus viris, ceteroquin laudandis de studio huius nobilissimi atque vividissimi latini sermonis eo tandem revocandi, unde nullo iure nullaque religione sed insano consilio deiectus a laicis nonnullis fuit, calculum hoc nostrum qualcumque afferimus, rati non ingratum nec inane prorsus esse futurum ». ¹

Itaque suum quisque adhibeat dicendi genus, suo quidem animo indolique rei accommodatum, vel melius, quale e suo cuiusque animo atque e rei de qua scribit intima natura sponte prorumpat, non tamen sine artis moderamine certo, nec sine

eo limae labore, quem amplissime maiores commendarunt, quemque nos nonnisi eorum opera perscrutati exemplaque sequuti comparare nobis possumus, diurno quidem studio sedulaque cura. Valeat, heic quoque, Ennii praeceptum « Rem tene, verba sequentur »; et sequentur natura sua, prono alveo, eaque latina non barbara, dummodo latinis magistris, a priscis ad novissimos, familiarissime usus diurna nocturnaque consuetudine sis; nec iis dumtaxat qui ad artes humanioresque litteras, sed et iis qui ad scientiam omne genus rite excolendam animosque recte informandos scripserunt.

De quibus forte seorsim erit dicendum.

SYLVIA ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

VII

De reflexivo "suus", pro "non alienus", ..

Latini eleganter usurpant reflexivum « suus », quum idem valet quod « non alienus ». Hoc autem non ita rarum est.

EXEMPLA: *Suus cuique mos* — In hominum societate *suus cuique labor est* — *Trahit sua quemque voluptas* (VERG.) — *Sua quemque* fraus et *suus terror vexat* (CIC.) — *Res familiaris sua quemque* delectat (CIC.) — *Tenenda sunt sua cuique* (CIC.) — *Edixit Dionysius* ut, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in *suum quodque* fanum referret (CIC.) — *Nostri, ut superioribus diebus suus cuique* erat locus attributus, ad munitiones accedunt (CAES.) — *Romanis multitudo sua auxit animum* (T. L.) — *Nemini mortalium iniuriae sua parvae* videntur — *Indos sua arbores vestiunt* — *Grammaticos officii sui*

¹ Cf. *De norma iuris*, Romae, 1937.

¹ Cfr. fasc. sup.

commonemus (QUINT.) — *Sopitos vigiles* in cubilibus suis obruncant (T. L.) — *Dicaearchum* vero cum Aristoxene aequali et condiscipulo suo omittamus (CIC.) — *Fortunam cuique configunt mores sui* (P. S.) — *Suum cuique decus posteritas rependit* (TAC.) — *Discedentibus mandat Vercingetorix*, ut *suam quisque* earum civitatem adeat, omnesque ad bellum cogant (CAES.).

VIII

De pronominum personalium omissione.

Omittuntur pronomina personalia, etiam tertiae personae, quicumque est eorum causus, dummodo idem sit quo usurpata sunt vocabula, quorum locum tenent.

EXEMPLA: *Caesar Pompeium* ad Pharsalum devicit atque (*eum*) usque in Aegyptum persecutus est — *Multos illustrat fortuna dum (eos) vexat* (SEN., Ep., 79) — *Irrideamus haruspices*: (*eos*) vanos, futilles esse dicamus (CIC.) — *Mithridatem* in fuga Tigranes exceptit, diffidentemque (*eum*) rebus suis confirmavit (CIC.) — *Pasce capellas et potum (eas)* pastas age — *Exercitum fundit fugatque, fusum (eum)* persecutur (T. L., I, 10, 4) — *Virtutis est, quam (is) aetatis, cursus celerior* (CIC.) — *Haec causa non ad sociorum salutem, sed ad (eam) civium Romanorum pertinet* (CIC.) — *Meus amicus est?* Sit (*is*) patriae prius (CIC.) — *Dion Platonem multum admiratus est atque (eum) adamavit* (C. N.) — *Odi hominem et (eum) otero* (CIC.) — *Si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata (eas) dissolveret* (CIC.) — *Flaminius non paruit auspiciis*. At Paullus (*eis*) paruit (CIC.) — *Eripe mihi hunc dolorem aut (eum) minue saltem* (CIC.) — *Quamvis non fueris suasor et impulsor projectionis meae, approbator (eius) certe fuisti* (CIC.) — *Inops, etiam si referre gratiam non potest, (eam) habere certe potest* (CIC., Phil., III, 10) — *Qui tarditatem Bruti reprehendunt, tamen iidem*

(*eius*) moderationem patientiamque mirantur (CIC.) — *Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam et (eos) quietos pati quod sors iniqua cogeret iussisse* (T. L., Fragm.) — *Aegritudo lacerat, exest animum* planeque (*eum*) conficit (CIC.) — *Imperia legum potentiora sunt quam (ea) hominum* (T. L.) — *Meam fortunam quam (eam) victoris maluisti sequi* (Q. C.) — *Meo iudicio stare malo quam (ei) omnium reliquorum* (CIC.) — *Ferarum minus tetra facies est quam (ea) hominis ira flagrantis* (SEN.).

IX

De duorum adiectivorum collatione.

Quum conferuntur duo adiectiva, utrumque comparativo effertur. Comparativus positivus suppleri potest cum « magis », sed sensu aliquantum diverso.

EXEMPLA: Si ager fuerit *longior* quam *latior*, latitudinis pedes cum longitudinis pedibus multiplicabis (COL., 5, 2) — *Lentulus rem talem per alios citius quam per se tardius confici malebat* (CIC., Sext., 22) — *Asia diiores quam fortiores exercitus faciebat* (TIT. LIV.) — *Alexander hostes prudentius quam avidius* persecutus est (Q. CURT.) — *Triumphus dictatoris Camilli clarior quam gratior* fuit (TIT. LIV.) — *Romani bella quaedam fortius quam felicius gesserunt* (TIT. LIV.) — *Caecina recuperare gloriam avidius quam consultius properabat* (TAC.) — *Consul se temere magis quam caute in medium dimicationem intulit* (TIT. LIV.) — *Continere omnes cupiditates praeclarum magis est quam difficile* (CIC.) — *Crebra magis quam digna memoratu praelia erant* (TAC.) — *Amicus tuus Celer disertus magis est quam sapiens* (CIC.) — *Deum colamus magis pie quam magnifice* (CIC.) — *Varus nobili magis quam illustri ortus erat familia* (VELL. PAT.) — *Magis saepe quam vere* Aetoli

pacem petebant (TIT. LIV.) — Dionysius non *contemptior* omnibus quam *invisior* fuit. (IUST.).

Loco positivi aut superlativi, comparativum quoque usurpant, quum aperte vel occulte fit comparatio inter duo.

EXEMPLA: Pompeii filius *maior* occisus est, minor fugit (EUR.) — Alexander *seniores* militum in patriam remisit (Q. CURT.) — *Maior* pars mortalium conqueritur quod in exiguum aevi gignimur (SEN.) — Mithridates Armeniam *minorem* tenebat (EUR.) — Plerumque *maior* pars *meliorem* vincit (TIT. LIV.) — Video *meiora* proboque; *deteriora* sequor (OV.) — Multa sunt ex historiis prolatas somnia Cyri *superioris* (CIC.) — Poeni in *minorem* Balearium insulam traicerunt (TIT. LIV.) — O *maior* iuvenum, hoc tibi dictum tolle memor (HOR., Ar. Poet., 336) — In Cornelii sententiam ut discederetur *iuniores* Patrum evincebant (T. LIV.) — *Posterior* res cogitationes sapientiores sunt (CIC.).

X

De indefinito "quis", pro "ali quis",

Indefinitum *quis* pro *aliquis* post quae-dam vocabula usurpat. Item dicitur *si quando* pro *si aliquando*, *si quo* pro *si aliquo*, *sicubi* pro *si alicubi*, etc. ...

EXEMPLA: *Si quid* est quod te scire opus sit, scribam (CIC.) — *Num quod* eloquentiae vestigium appetet? (CIC.) — Labienus interdicit *ne quis quem* vulneret (CAES.) — Da operam *ne quid* contra aequitatem contendas (CIC.) — *Ne quis* etiam errore labatur vestrū quoque, non sum securus (TIT. LIV.) — *Ne qua* sedatio aut bellum oriretur anxius erat (SALL.) — Licet dubitare *num quid* nos fugerit (QUINT.) — Druides, *si quis* eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt (CAES.) — Cavebam *ne cui* suspicionem darem (CIC.) — Quum quod scriberem ad

te nihil haberem, tamen *ne quem* diem intermitterem, has dedi litteras (CIC.) — In eum locum res deducta est, ut *nisi qui* deus vel casus subvenerit, salvi esse nequeamus (CIC.) — *Ubi semel quis* peieravit, ei credi postea non oportet (CIC.) — *Si qui* voluptatibus ducuntur, missos faciant honores; ne attingant rem publicam (CIC.) — Opera dabatur *ne quod* iis consilium *neve quae* communicatio consilii esset (TIT. LIV.) — Augustus, *si quo* pervenire mari posset, potius navigabat (SUET.).

XI

Relativum "qui, quae, quod, , antecedenti praepositum.

Relativum «qui, quae, quod» antecedenti potest praeponi, quocum venuste cohaeret genere, numero et casu. Pronomine demonstrativo antecedens roborari potest.

EXEMPLA: In astrologia C. Sulpicius operam posuit, in geometria S. Pompeius, multi in dialecticis, plures in iure civili, *quae* omnes *artes* in veri investigatione versantur (CIC.) — Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt, *quod genus* imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur (CIC.) — Ad Caesarem *quam* misi *epistolam*, eius exemplum fugit me tum tibi mittere (CIC.) — Ajax, *quo animo* traditur, milites oppetere mortem quam indigna perpeti maluisset (CIC.) — *Quas res* violentissimas natura genuit, earum moderacionem nos soli habemus (CIC.) — Philippus Aetolos desertos ab Romanis, *cui uni* fidebant *auxilio*, subegit (TIT. LIV.) — Cumiae, *quam* graeci tum *urbem* tenebant, capiuntur (TIT. LIV.) — In *quem* primum Troiani egressi sunt *locum*, Troia vocatur (TIT. LIV.) — Poëta id sibi negotii creditit solum dari ut, *quas* fecisset *fabulas*, populo placerent (TER., Andr., 1) — *Quod mihi* praedicas *vitium*, id tibi est (PLAUT.).

— *Quas* victi ab hostibus *poenas* metuerant, eas ipsi volentes pependere (GALL.)

— *Quae poena* a Deo periuro, haec eadem mendaci constituta est (CIC.) — Ad *quas res* aptissimi erimus, in eis potissimum elaborabimus (CIC.) — Samnites Maleventum, *cui nunc urbi* Beneventum nomen est, perfugerunt (TIT. LIV.) — Amici sunt firmi et stabiles et constantes eligendi, *cuius generis* est magna penuria (CIC.).

(*Ad proximum numerum.*)

I. JSS.

NOSTRA RES**Ad renovandum latinae linguae usum.**

ANDREAS AVENARIUS IOSEPHO FORNARIO doctori sal.

Velle testis fuisses risus mei atque cachinni, quum adnotatiuncularum tuarum legebam exordium. Inprimis quod de malo exemplo admonuisti deque filialis defectu reverentiae et dilectionis. Edepol, tu illud facetum reddidisti meo in re Latina parenti! Et comiter sal spargere videris etiam hoc, quod propriis notis ad mea ipsius me scripta reicis.

At scis quid non semel cogitaverim perlegens quae sequuta sunt seria? Ego mecum tacitus: «Utinam etiam mihi ad manum essent illa lexica, ex quibus tot alii et me feliores quum voluerunt hauriunt vocabula!» Quam tu multa attulisti ex illo mediae et infimae Latinitatis lexico, quod auctore Ducange prodiit! Velle addidisses unde hodie prodeat, quantoque pretio: nam fortasse antequam moriar invenero, qui illud opus dono dare paratus sit roganti.

De *posta* autem propemodum persuasi mihi, ut non facile posthac totum hoc institutum appellaturus sim *postam*, sed *cursum publicum* retineam; sed ab adiecti-


vis illis, quae sunt *postalis* et *postarius* minus divellar facile. Nam etiam nunc toto orbe intellegetur quum significavero «cartulam postalem» allatam esse, tametsi memini etiam «diribitoriam cartam» vocari;

vel quum narravero, quod eo quo haec scripsi die legeram in ephemeride: «In vicinis locis perpetuis ventis tantos congestos esse aggeres nivium, ut agmina ferrovia penetrare non possent et ideo transpositam in trahas vectam esse in vicos nivibus interclusos ab ferroviario commercio». Hac tantula licentia assumendi extera vel nova vel internationalia vocabula non magis interire sermonis vere Latini puto integratatem, quam non ita paucis vocibus, quas vel scriptores vel milites ex aliis populis allatas adhibuerunt, ut *currum, esendum, bracas, frameam*. Quam multa videmus a Graecis petita vocabula ne necessaria quidem, quum aut Latina non deessent aut facile ex Latinis derivarentur! Ut illis ex Graecis mutuari licuit, sic etiam nobis ex hodiernis populis ad hodiernas praesertim res, ad hodierna instituta transferre Latine loquentibus et scribentibus licet; modo intra sanae rationis fiant fines!

Sed de illis finibus periculum est, ne infinitae sint contentiones. Quod mihi adhuc tolerari posse videatur, id alteri nimium videatur audax. Maiores nostros, mediae quae dicitur aetatis viros, audentiores fuisse video in eo genere vocabulorum, qui et tunnas i. e. est amphoras, et flascas i. e. lagenas habuerint. Nobis certe renovandae Latinae linguae usui studentibus minor licentia, sed tamen aliquantulum libertatis.

Disponendorum autem vocabulorum ex lexicis petitorum non praetermittam curam, sed assidua me inopia temporis premi ex eo intelleges, quod tibi a me non prius est responsum.

Quodsi nunc te absolutum arbitraris erras: nam habeo, quae te interrogem. Scio te quoque ut quam maxime distendi negotiis, sed quem adeam amicum, erepto



armorum vi Iovaeo? Pone ergo ante mentis oculos *dactylographium* meum, minoris Ericae genus. Immitto folium, in quo celeri clavicularum appulsu per coloratum lemniscum imprimitur series litterarum. Ubi res ad iustum epistolam pervenit, cedere cesso, folium extractum perlego, errata cerussa corigo, complicatum folium immitto in involucrum, humefacto glutine, quod illitum margini est, claudio, quum antea nomen et domicilium inscripsi, postremo pittacium vecturae adglutino, ut quam primum cursui committatur publico curo. Sed accidit ut datae epistolae apud me retinere velim exemplum. Nihil facilius factu, sed minus explicata descriptio est. In primis opus est folio colorio. Huius colorifera pars imponitur illi folio, quod exemplum erit, in quod immissum cum folio prototypo epistola mea quasi transducitur, ut illa exempla machinaria, quae Galli *copies de la machine à écrire*, nos *Durchschlaege* appellamus transuersoria vel *tracusiva* vel simplicius *tracusa* nominare instituerim. Tuam igitur de his vocibus, quae sunt *colorifer*, *lemniscus* et *transducere*, novatis utique a me, sententiam, aut quid antiquius proferas exspecto.

Restat ut tibi aperiam quod harum literarum extrellum mihi proposueram. In Germania ex nonnullis annis docti dissentire coeperunt in pronuntiatione vel in accentu illorum nominum, quae a Graecis assumpta sunt et exeunt in *ia* velut philosophia, agonia, apoplexia. Talia igitur nomina, quae antehac etiam in Germania more Graecorum acuebantur, nunc in eadem Germania a quibusdam et ab editoribus liturgicorum librorum accentu Latino proferuntur. Philosophiam, agoniā, apoplexiā qui soleremus enuntiare, ut philosophia, agónia, apóplexia assuefaceremus aures invitati sumus. Hic te precor, ut tuam mecum communices sententiam. Mihi certe videtur cum vocabulis etiam accentum e Graecia translatum in Latium esse,

nam video in aliis vocabulis accentus Graeci gratia regulam acuendi ab Latinis suam neglegi, ut factum est in *paraclito* cuius vocis paenultima syllaba producenda sane cum pro η vocali scribatur *i*. Et tamen sequimur Graecos acuentes antepaenultimam. Et nomen caelestis patroni mei, quod est *Ἀνδρέας*, idcirco contra regulam Latinam paroxytonon est, quod Latinis insolitum, ne dicam stolidum erat peregrini vocabuli mutare accentum. Tu igitur, Fornari, quid ad haec dicturus sis mea vehementer interest. Tunc cum Romae in ecclesiam intrasti eucharistiam cani an eucharistiam audis? Et utram canendam censes? Fatendum tamen ne in hac quidem materia usum non esse tyrannum, siquidem omnes ecclesiam dicunt et comoédiā et tragoédiā. Vale.

Ex urbe Tirschenreuth, Superioris Palatinatus. Kal. Febr. anni 1937.

QUADRAGESIMALES NOTAE

De sacris stationibus Romae.

Antiqui scriptores, apostolae praesertim et ethnici, inter quos Plinius, affirmant, Christianos, primis Ecclesiae saeculis, noctu ad loca precibus faciundis destinata convenire, ibique *agapem* et *synaxim* uno corde celebrare; et quum ob ius funeraticum impune reliquias et corpora martyrum sepelirent, in ipsorum memoriam festa agere, et super ipsa sepulcra sacrificare. Fideles singuli ac sacerdotes apprime de sollemnibus celebrandis, et de conciliis habendis, diem, locum horamque cognoscebant, ut facillime illuc convenire possent. Ex eorum itineribus ratio illa «stationum» originem duxit, quas Ecclesia in tranquillitate nunc memorat. A «procedendo in locum» facta est *processio*, longe secus ac illo laeto et superbo incessu festivo, qui olim *pompa* dicebatur; inde per diem a fidelibus cerei accensi ferri in me-

moriam eorum, quos noctu ferre solebant fideles, ne forte viis agrisque coeci aberrarent, ubi erant cryptarum aditus, quas *catacumbas* appellare solemus. Procul dubio Summi Pontifices, qui toto animo totisque viribus religionem et Ecclesiam semper dilexerunt, reliquias idolatriae populo penitus eradere excogitarunt, et festis illis ethnicorum, intemperantia atque ebrietate celebratis, alia christiana vigiliis et ieuniis insignia subdere, ut omnes cognoscerent Romam idolatriae atque corruptionis olim centrum, tunc sanctitatis piaculique documentum exstare.

At quum prisci illi stantes orare solerent, praesertim et manibus caelo supinis, hinc apud plerosque opinio, a standi modo, stationes vocari. Nec praetereundum est apud nonnullos fuisse sententiam, stationes appellari, quia statutis diebus indictae; alii denique, verbis Tertulliani utentes, a militiae stationibus nomen sumpsere: «Si statio de militari exemplo nomen accepit, nam et militia Dei sumus, utique nulla laetitia sive tristitia obveniens castris stationes militum rescindit».

Ceterum ubi Ecclesia fideliū numerum in dies singulos crescere vidit, pacemque nacta est, statuit ut fideles uno in loco colligendi, praecedentibus cruce et clero, duce ipso Summo Pontifice, ad martyrium aliquod pergerent; et quum illuc pervenissent, Pontifex comitantes sermone doceret, quod ex sermonibus sancti Leonis et homiliis sancti Gregorii probatur, atque inde omnes simul corde et animo Deum precibus exorarent.¹ Conventus hi a primis Ecclesiae temporibus originem petunt. Sanctus Cletus enim (an. p. C. 80) auctor habetur; eiusque exemplum sanctus Xystus, sanctus Liberius, sanctus Damasus sequuti sunt.

Verum sacrae stationes prout nunc in

Ecclesia habentur certis diebus haud gaudent, quia a festis mobilibus deducuntur; ideo nonnulli scriptores arbitrantur, Ecclesiam hoc fecisse, ut Christiani semper recordarentur festa haec christiana ferias illas «paganas» exceperint. Stationum autem numerus non semper idem mansit; Summi enim Pontifices aliquando illum auerunt, aliquando minuerunt; et etiam statuerunt tempula visitanda nonnisi celeberrima, atque maxime venerabilia, vel fideliū frequentia, vel martyrum corporibus ibi sepultis, vel quod loco cryptis vel catacumbis sanctificata haberentur, quorum est adhuc monumentum in *confessionibus*. Temporibus vero Ecclesiae infensis, vel populorum calamitatibus obnoxii, fideles precibus martyres adprecabantur, basilicam aliquam petentes; ideo in nonnullis basilicis pluries in anno stationes celebabantur.

Sed praesertim quadragesimalibus diebus, iuxta dictum: «Bona est oratio cum ieiunio», indulgentiam, quae nunc *stationaria* vocatur, Pontifices concesserunt. Ad «processiones» indicandas antiquitus dies Dominicus, feriae IV et VI et dies festi praeferebantur, ne populus nimis impediretur et facilius ad preces disposeretur.

Sed neque ratio nec ordo harum peregrinationum semper invenitur idem: ex diebus enim et ex ecclesiis invisendis diversimode procedebatur: subdiaconi regionarii munus erat, sanctae missae tempore, ante communionem, stationem promulgare.

In more etiam habitum, ut alter ex acolytis, eadem stationis die, aliquantulum gossypii oleo lampadis madefactum Summo Pontifici offerret, his verbis alloquens: «Hodie fuit statio ad sanctum... qui salutat te». Hoc gossypio parvum pulvinar instruebatur, et post Pontificis obitum, sub eius caput immitebatur.²

¹ Confer *Eortologium*, auctore PIAZZA.

² Cfr. DE ROSSI in *Inscript. Christ. Urbis*, II, 1, p. 34.

Maximae solemnes inter stationes recentendae hae sunt: Quadragesimae dies prima, qum Pontifex ad ecclesiam S. Sabinae pergeret, ibique cineres populo distribueret; Dominica IV, quando ad basilicam Sessorianam, vulgo S. Crucis in Ierusalem, a Lateranensi abibat et ritum benedicendi rosae aureae ipse absolvebat; et feria vi maioris hebdomadae. Tunc Summus Pontifex, nudis incedens pedibus, omnique comitante clero urbano, e patriarchio Lateranensi ad Sessorium, ut adoratio sanctae Crucis ageretur, procedebat thuribulum manu ferens, ipsumque sequebatur diaconus «portans lignum pretiosae Crucis in capsula de auro, gemmis ornata...». Crux autem patebat ad oscula infra portas «super arcellam ad rugas».³

Si denique sabbato «in Albis» archibasilicam Lateranensem Pontifex peteret, in ipsa basilica benedictionem et distributionem cereorum *Agnus Dei* absolvebat.

Sanctus Hieronymus, qui strenuus scrutator primorum Ecclesiae temporum fuit, nihil intentatum reliquit, ut sciret quaenam preces a primis Christianis in visitandis templis recitarentur; absolutisque diligentibus inquisitionibus, affirmat, preces recitatas psalmos et canticum *Benedictus* fuisse, sed procedendo de loco ad locum numquam *Credo* et *Pater* omissa. Ita etiam Baronius. Tamen ordo et preces, quibus stationes completerentur, a sancto Gregorio repetenda sunt, quamvis antea sanctus Hilarius nonnullos clericos delegisset, qui, «ministeriales» appellati, stationum solemnibus inservirent. Nostris autem diebus, quum solemnia quae huc usque recoluimus desint, in ecclesiis praestitutis Romae sacra statio habetur hoc ritu, ut per insignes reliquiae in unaquaque assertatae fidelium venerationi exponantur, et vespera *Litaniae Sanctorum* aliaeque preces recitentur.

F. C.

COLLOQUIA LATINA¹

XXIX.

Cubitum discussuri.

PAEDAGOGUS, LUCIUS,
et ARMANDUS pueri, PATER, MATER.

PAEDAGOGUS. — Heu! pueri, iam satis superque lusum est a coena, quantum videlicet nunquam antehac. Dormitum censeo aliquando discedamus, quando quidem istuc hora nos admonuit.

LUCIUS. — Hora? Numerastine, Armande, octavam?

ARMANDUS. — Ego vero numeravi, ac pridem.

LUCIUS. — Cur tu reticebas?

ARM. — Quia iuvabat ludendo tempus extrahere, et alienas partes atque munus arrogare mihi nolebam.

LUC. — Astute!

PAED. — Armande, quid verbi ego ex te audio?

ARM. — Habes causas.

PAED. — Quae istaec religio incessit?... Tibi edico, in posterum pace mea arroges licet, et simul octavam postmeridianam audieris, mihi aurem vellas.

ARM. — Si ita vis...

PAED. — Nempe ita volo.

LUC. — Necdum est cupido somni: ne prohibe nos, amabo, adhuc aliquantis per hac tam bella et optata lusione contendere: paullulo contenti erimus.

PAED. — Arcessit vos somnus, qui, quam mox cubilia vestra ascenderetis, tam mox utrumque complectetur. Etenim puerorum est amantissimus. Estne aliter ac dixi?

ARM. — Haud aliter.

PAED. — Ite prae.

LUC. — Ecce imus.

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PAED. — Ceterum antequam in cubiculum vos abdatis, parentibus pro consuetudine dicenda est salus, porrigena que prius osculata manus dextera, poplitibus modice curvatis; id quod boni liberalesque pueri factitare consueverunt, et ego vos sic institui.

ARM. — Adeamus igitur... — Pater mi carissime, et tu mater suavissima, bene valete in hanc noctem: nos ad quietem capessendam proficiscimur.

LUC. — Salvus esto in crastinum, pater; salva esto, mater.

PATER. — Quid? Sopor ocellos vestros obtegere properat? Utinam quiescatis ambo tranquillissime usque in lucem. Verumtamen non usque adeo in multam lucem. Septem horae vel pueris putantur sufficere. Nihilominus ego vobis octavam et aliquid etiam ultra indulserim.

ARM. — Istud tibi est in manu, pater.

MATER. — Vigilantes vos iuxta atque somno consopitos ab omni malo periculoque Deus semper custodiat, filiali mei.

ARM. — Speramus equidem hanc noctem eventuram nobis ex sententia.

AD SANITATEM TUENDAM¹

DE AËRE

Si cupis incolumem vitam producere, Caelum
Effuge corruptum nebulis, nidore, lacunis,
Quodque movet madidus morbosis Africus au-

[ris:
Purum ama, et ad solem nascentem, et lumine

[apricum,

Purgatumque Euro, et Boreali frigore tersum.

[cumbat:

Mox laevi lateris commoda somnus amat,

Natura hinc bene fervet opus, bene conco-

[quit hepar

Deficiunt vigiles sensus, hebetantur ocelli,
Tertia iam assumpto praeterit hora cibo:

Caecuba praeripiunt somnos, caput annuit, ite

Convivae, in solitos cursite quisque thoras.

Naturae hinc bene fervet opus, bene conco-

[machus,

Venter, et amplexu nobiliore cibum:

Lethaea est resupina quies, hinc omnia pallent

Membra, iecur, ren, nervi, ora, caput, sto-

[machus,

Pronusque quisque cubet, dextra vel parte re-

[cumbat:

Somne, nihil sine te bene possumus, optimè

[somme,

Blanda aegrī animis corporibusque quies.

DE VIGILIA

Surgite, ab Oceano rapidus iam surgit Eous,
Aurorae roseum iam iubar ecce rubet.

Iam vigilare graves somno vinoque sepulti,

Septena in somnos est satis hora meos.

Longior obtundit cerebrum, torpedine sensus

Afficit, exacuet quem vigilata dies.

Sic color internus sevirescit, et aptius omni

Sorditie electa membra vigore fovet.

Luce vigint operosae artes, it miles in arma,

Luce gemunt fessi sub iuga luce boves.

Delia non noctu venatur; nocte quiescunt

Pulpita, sed luce docta Minerva vigil,

Luce minax Pallas, vigilatae quot bona lucis?

Corpore, dii, sensus, ingenium atque vigint.

¹ Praecepta CASTORIS DURANTE, Medici, latinis versibus expressa.

ANNALES

Italiae Angliaeque de Mari Medi- terraneo mutua consensio.

Faustis pro pace auspicis an. MCMXXXVII initus est: die enim II mens. ianuarii inter Italicum exterarum rerum administrum et Anglicum Romae legatum consensio de mari Mediterraneo scriptis firmata est, per quam invicem recognoverunt aditus, transitus exitusque libertatem in illo mari, negotium maximi utriusque civitati momenti esse, utriusque rationes minime inter se discrepare: omnia itaque in statu quo ante manebunt. Huiusmodi sollemnis professio pacis confirmandae causa facta, nec ulli adversans, veteris amicitiae usum iterum sanxit inter Angliam et Italiam, qui aliquantum remissus postremis hisce temporibus videbatur.

At commercia in eodem mari sunt etiam pro Gallia: eademne ratione haec se geret?... Responsum dabit eius agendi ratio circa proposita, quae etiamnunc agitantur, de non interventu in Hispanicum bellum civile.

De auxiliis Hispаниcis bellantibus non concedendis.

Gallia enim — accedente Russia — contra interventum eundem rogationem ceteris nationibus ipsa proposuit; interim vero Russiam late adiuvit, ut milites, arma, pecunia Hispаниcis illis « Communistis » suppeditarentur — (centum millia hominum feruntur in eorum auxilium missa fuisse) —, dumque Italia praesertim, Germania et Lusitania, — quae ab iis accusantur non impediisse quominus voluntarii milites ex suis regionibus in Hispaniam migrarent ut cum « Nationalistis » pugnarent, — se promptas paratasque declarant ad id cavendum, dummodo quaestioni integre provideatur, et inspectores

ideo creentur, qui conventionis observantiam severe current, Gallia fidem fallit: oculis heu! capta de iis quae Russici socii ipsi minitentur.

Gallorum cum Turcis discrimen.

Interim cum Turcis habuit discrimen de Alexandriola regione, cuius imperii mandatum a Nationum Societate traditum Galliae fuit, una administratione Turcis aborigibus reducta. Atqui hi sui iuris omnino esse volunt; itaque commoveri, aestuari, seditiones facere; in eoque sunt ut ad aper tam rebellionem sese vertant. Quam ut evitent Galli dicuntur ad novas condicio nes statuendas inclinare.

Ex aedibus Vaticanis.

Universi orbis animos turbarunt nunc ex aedibus Vaticanis recens manantes de infirma valetudine Pii XI P. M. Quae omina precesque Superis undique elatae sunt, ut salvus incolumisque Pater dilectissimus tantusque Pontifex diutissime adhuc servaretur, audiit benignissimus Deus; cui sint debitae grates.

Pio PP. XI vita, vita, vita!

POPLICOLA.

VARIA

Quanti libertas sit facienda.¹

Difficilem arduamque de vicinis et aliis quibusdam populis victoriam populo Romano fecit amor conservandae libertatis, qui tunc multis gentibus insidebat. Eam enim tanto studio defendere conabatur, ut nonnisi singulari quadam virtute vinci ac superari po-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

tuerint. Cuius rei argumentum habes tot periculorum exempla, quae adire eius defendendae ac recuperandae causa voluerunt: tot tamque horronda suppicia de iis sumpta, qui illius amittendae causam praebuissent. Sed neque obscurum est ex lectione historiarum quanti facienda sit libertas et quantum et quam difficile sit populo iugum servitutis.

Aetate nostra una gens superesse videtur, in qua liberae civitates sint: olim per omnes mundi plagas extabant populi liberimi. In Italia certe inter Alpes, quae Galliam Cisalpinam a Thuscia dividunt, et extremam Italiae oram, multi liberi populi habitabant: Thusci, Romani, Samnites et alii; nec mentio fit illorum regum, qui tunc imperarint in Italia, praeter regem Romanorum et Porsennam. De cuius stirpis excidio, etsi historiae nihil memoriae prodiderint, constat tamen Thusciam, cui Por senna imperaverat, liberam fuisse eo tempore quo Romani adversus Veios bellum suscepserunt, et libertate quidem tanta cum voluptate usum, tantoque odio Monarchiae appellationem habuisse, ut quum Veii, defendendi sui causa regem creassent et auxilium a Thuscis contra Romanos petiissent, Thusci, re diu deliberata, tandem censuerunt non ferendas iis esse suppetias, donec regem haberent; neque enim decere iis auxilium ferre, qui patriam unius viri imperio subiecissent.

Sed neque sine causa insidet populo omni libertatis amor. Testatur enim experientia, nullam civitatem suos cives ditare, nisi tempore libertatis, neque etiam imperium comparare, aut publicas opes quocumque modo augere. Admiratione summa dignum est, Athenienses, Pisistrati tyrannide liberatos, centum annorum spatio, vires atque potentiam suam tantopere augere potuisse. Et longe magis stupendum adhuc, Romanorum rempublicam, expulsis regibus, ad tantum fastigium pervenire potuisse. Eveniunt autem haec omnia quod

non privatorum opes, sed quae publica communiaque sunt Rempublicam augent; neque habetur ratio boni publici, nisi in liberis civitatibus, in quibus id, quod ex aequo prodesse potest omnibus aut quamplurimis, semper decernitur, nec habetur ratio paucorum quorumdam, quibus nocere forte possit id, quod universis prodest. Contra quam accidit in iis civitatibus, quae principis alicuius imperio parent. Nam in iis plerumque fit, ut quod Principi prodesse potest, universis civibus noceat. Quo fit, ut si libera Respublica sub tyrannidem aliquius redigatur, inter levissima detrimenta, inde sibi orta, hoc numerare queat, quod iam neque opibus, neque imperio amplius augeri queat, sed decrescere etiam paulatim incipiat. Nam etsi concedamus ty rannum hunc, sub cuius imperium redacta est, virum esse industrium et bellica virtute praestantem, tamen id, quod ille comparat, in suum privatum commodum, non in usus publicos convertit, quum neque ex subditis suis, quibus tyrannice imperat, diligere ausit excellentissimos ac praestantissimos quosque, ut eos praeficiat rebus gerendis, metu nimirum vindictae. Quod si quas praeterea urbes occupabit, non certe huic tributarias faciet; quum ty ranni scopus sit non augere potentiam subditorum, sed subitam sibi conservari, et vires, quibus aliquando iugum excutere queant, opprimere. Qua de re multa praeclare apud Xenophontem, in libro de tyrannde, leguntur. Quae quum ita se habeant, nemini mirum videri debet veteres tanto libertatis studio flagrasse, et tyrranorum nomen tanto in odio habuisse, ut quum nuncius olim ad exercitum pervenisset de imperfecto Hieronymo, Hieronis Syracusani nepote, atque milites omnes fremerent aduersus coniuratos, tamen, quum paulo post nuntiaretur, proclamari libertatem publice Syracusis, deposita iracundia contra coniuratos, de modo conservandae libertatis de liberare cooperunt.

Hoedus et Lopus.

Supra tectum domus stans Hoedolus, Lupum praetereuntem in clamabat et illi maledicebat. Cui Lopus: — « Non tu — inquit, — sed tectum mihi maledicit ».

Saepe locus et tempus fortis facit homines pavidos, ut insultare etiam praestantissimis non vereantur.

Canis venaticus et Molossi domestici.

Coeperat venaticus Canis leporem, eumque, quamvis esuriens, gloriose iactans verbis celeritatem suam, detulit domum ad Molosso, custodes gregis et aedium. Illi vero leporem ei eripuere, et inter se discerpserunt.

Fabula contra ostentatores dicitur; nam bona tegere saepe prodest. Quamvis enim recte dicatur, « nullum esse usum occultae musicae », tamen et hoc verum est:

*Qui sapit in tacito gaudet ille sinu,
et Horatianum illud:*

*Tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, et multo rixae minus invidiaeque.*

Pro iudicibus mensarum eleganticibus.

ESCARUM ORDO:

*Pasta vermiculata, butyro condita.
Sparus dentex elixus salsaminibus sap-
ratus.
Artolagani ex solanis tuberosis.
Pulli ossibus nudati, fungis circumfusi.
Botellus ex cremo lactis.*

locosa.

TUCCIU suspirans: — Utinam fluvius essem!

PATER: — Utquid fatuitas haec?

TUCCIU: — Mihi enim quotidie primo mane semper est surgendum; ille e contra nunquam e lecto exit.

TUCCIU a schola redux, laetus Patri: — Hodie tandem magister ab ignavorum scamno me removit!

PATER: — Gratia Superis! Tandem aliquando virtute aliqua effulsisti!

TUCCIU: — Scamnum effulsit: etenim resina illiverunt.

Aenigmata.

I

Motu reddo pedes agiles et pectus anhelum,
Pallentesque rubro spargo colore genas.
Vertice me truncas? Proh! belua fio tremenda,
Inque viatorem dente minace ruo.

II

Cum prior est moerens, praebet quod recreet
[alter.]

Temperat in *toto* strenuus a lacrimis.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *P-ars*; 2) *Vi-lis*.

LIBRORUM RECENSIO

FRANC. QUATTRONE *Opera omnia* (Rhegii Iul., ex off. Fr. Morello, MCMXXXVI, pag. 312. Ven. lib. XL).

Franciscus Quattrone magni ponderis et pereleganti volumine omnia sua opera est nuper complexus. Quidquid enim abhinc quinquaginta annos horis subsecivis conscriperat iam litterati viri legere haud poterant, quum opusculorum exemplaria nulla prorsus exstarent, nonnullaque aliae huius scriptoris nugae, pas- sim in libellis certo tempore editae, submersae, vel penitus, ut ita dicam, deperditae iacerent. Optime ergo rei noster latinitatis eximius cultor consuluit, qui post longum tempus omnia in unum collegerit, ut suis civibus cultoribus exterisque quo in latium sermonem amore ipse esset incensus pateret.

Omnia, ni fallor, nunc fere immutata ille edidit, id satis habens res, licet alias alio tempore compositas ac vulgas, omnes quibusdam certis partibus divisas, complecti. Nonne hac in re Quattronium dixeris Didacum Vitriolum esse imitatum? Hic enim primum carmine cum de Rhegii immani terrae motu (*Tomarmórimon*) tum de *Consolatrice Virgine* in Turcarum Rhegium excensu habes; deinde quam plurimae elegiae sequuntur, quas longo temporis intervallo, prout res sese proferebant, conscripsit modo ut Ecclesiae Reginae principibus plauderet festosque dies celebraret, modo ut sui animi sensum in Deum et Virginem manifestum faceret; per pauca tamen tantum sunt, quae, quum impulsum ab aliqua occasione non sumpserint, aliquid magis animis nostris adhaerens contineant ac prae se ferant.

Non desunt odiae sapphicae, et ipsae religionis sensibus satis imbutae, Ecloga, in qua Portanova, Reginae ditionis antistiti, animarum curatores omnia bona ac felicia exoptant; tum ex italicis idiomate interpretationes, deinde epistolae, nullis tamen horatianis veneribus decorae, inscriptiones sive versibus sive epigraphico stilo compositae, epigrammata, orationes solitae, e quibus maiorem locum obtinent epistola quaedam ad Oliv. Iozzium de Reginorum cum Roma litterarum commerciis atque alia, in qua pro Virgilio commemo- rando auctor nonnulla ex virgilianis operibus cum Fascium regimine facile atque eleganter, si non nove, contulit et comparavit. Postrema voluminis parte, quidquid de singulis libellis per ephemerides iam existimatores censuerant, hoc Quattronius collegit, ut id unum tantum, ne quicquam desideres, deesse videatur, quod vel ab ipso, vel ab alio, de ipsius vita et moribus nil sit adiunctum. Initum volumen clara auctoris effigies decorat atque ornat.

Deficiente scidula, ut de hoc libro fusius disseratur, vel breviter colligam quid mea quidem sententia de operibus Quattronii sit sentendum. Estne hic vis atque ingenii celeritas, quibus poëta praeditus esse debet? Nemo, quod sciām, hoc unquam quaesivit, etsi nonnulli eum laudibus saepe cumulaverunt. Sed, antequam propositae quaestioni respondeam, id animadvertisendum puto, omnia, quae hoc libro continentur, ex iis occasionibus initium atque afflatum sumpsisse ut non Italorum vel

Rheginorum civiles res, sed tantummodo viros atque res ad religionem pertinentes spectaret. Quam vim igitur, quae nos quoque post illos eventus teneat, adhibere potest poëta quum eadem fere, eaque trita, festis nominis diebus vel huiusmodi temporibus Ecclesiae principibus ominetur? Versus tantum hic habes, haud magno, qui dicitur, calore redundantes; quod facile inspicias, si plurimarum elegiarum initia consideraveris, in quibus, si non eadem verba, eadem res nonnunquam inveniuntur. Nam, ut patet, non talia argumenta sunt, quae scribentem et legentem ita tenerent atque allicerent ut iis tum omnes moverentur, nedum nunc quoque moveamur; postquam enim tempus praeterit, etsi tum aliquam vim hi elegi habere visi sunt, hanc fere totam tot post annos, ni fallor, amisisse videntur.

Maioris sane momenti facienda sunt duo priora carmina, quibus immanem terrae motum et Turcarum excessum poëta cecinit; res enim ipsae tantum lacrimarum saepe habebant, ut Quattronius animo percussus cum lacrimis eas bene sonantibus vel, dixerim, virgilianis versibus conscriperit. At ne hic quidem ingenium cernitur, quod nova ac magna proferat, quodque personas quasdam mentibus penitus haerentes effingat.

Magna, ne dicam, praecipua voluminis pars, epigrammata continet, quibus auctor modo brevius eadem argumenta elegiarum prosequitur, modo animi sui sensus religionis ac sanctitatis plenos manifestos facit, modo denique spicula in christiana fidei hostes lepide, si non violenter, intendit. Ex quibus vel parvis carminibus et scribentis in Deum pietatem et in amicos commitat perspicere videmur, quum, quidquid dicat, facile semper et eleganter exprimat. Suum pondus et inscriptiones plurimae habent, cum ad res civiles tum ad res sacras pertinentes, in quibus, licet spatio definito, vitas ac res gestas virorum ac solemnia sacrorum concisa quadam nitidaque perspicuitate auctor memoriae tradidit.

Ut paucis quid sentiam complectar, illud unum idemque praecipuum addam, opera Quattronii, si poëticam vim spectes, ea esse, in quibus maior Musarum afflatus persaepe desideretur; non magnas res continent, sed polite dictas, non quae universos, nulla temporis ratione habita, sed plerumque tantum Rheginos

spectent; non quae philologicis studiis quicquam attulerint, sed quae, occasione data, quod quisque sentiret atque exprimere vellet, id belle neque invenuste vel vincta vel soluta oratione latine expresserit. Antiquioribus solum operibus nutritus, tamquam inviolato horto conclusus, nostrarum litterarum vices vel ignorare vel despicer ita videtur, ut de barbara illa poësi ea dixerit, quae nemo prorsus est quin immerito dicta neget. Atqui nunc quoque post quadraginta annos scriptor eadem fere putare videtur, qui id tantummodo addat, *forsan quempiam* (at non hercle poëtam?) aliquatenus illud iudicium immutandum censere. At quid dicat Quattronius si nonnullorum, qui sequuti sunt, poëtarum carmina perlegerit? Hoc mihi in mentem revocat quoddam Vitriolii epigramma, quo *romanticos*, qui dicuntur, omnibus ineptisque contumelias vexat; neque Vitriolius perspexit cur ac quomodo illi patrias litteras aliquam partem renovandas censerent, nec Quattronius, qui (et parva liceat compnere magnis) eum est imitatus, quid barbara poësis tum sibi vellet quidve revera esset, intellexit. Ceterum, si quis eum eiusque vitam consideret, qua re ita censuerit perspiciet.

Nostris temporibus latinis versibus conscribendis magnum incrementum est allatum praesertim Iohannis Pascoli opera, qui cum latinitatis fines extendere visus est, tum personas sententiis ac luce mirificas effinxit, quas nunquam tempus abolere posse puto. Hunc pro viribus nonnulli sunt sequuti, ut Bartoli, Sofia, Zappata, Galante, Polidori, Gandiglio, Ficari aliique, qui non latine tantum, sed carmina vero magnoque musarum afflatu fluentia conscriperunt. Quorum nullius vestigia insectans, Quattronius parvo suo quidem vixit, sed res, ut ita dicam, quadam vita viventes nullas fere, mea quidem sententia, reliquit. Maiore sane vi mentis vehementioribusque pectoris motibus Ianuarium Asprenum Rocco neapolitanum, et ipsum presbyterum, praeditum fuisse duco, etsi limiae laborem nimis fortasse aspernatum. Idemque dicendum de illo Iohanne B. Moscato consentino, qui, quamquam vena parum clara quandoque, sed semper fluente, tot carmina composit, nunc paene magno silentio obruitur.

Latinam, qua Quattronius utitur, linguam consideranti omnia eius scripta laudibus ornanda videntur, nam, ut iam dixi, quidquid

ille scribit, tam claro tamque facilis stilo scribit, ut statim legentes rem mente capiant. Ni fallor, hic Virgilii ac Tibulli sermo plerumque invenitur, non sine, ut par erat, Christianorum scriptorum vestigiis; nescio vero quid vir quidam Quattronio nostro cum Plauto esse viderit. Quod autem ad versus attinet, id satis est dicere, omnia fere herois versibus vel elegis esse conscripta; versus, quod quidem ipse perspexerim, et recti et venusti sunt, si quosdam exametros excepteris, qui, licet statutis numeris confecti, duritie aliqua ita laborant, ut non cum virgilianis sed cum horatianis quibusdam comparandi videantur. Nonnunquam et versus odarum sappharum reprehendendi quodammodo sunt, quum dactylus, quem cyclicum vocant, non semper caesura dividatur, qua in re Catullum vel, si placet, Iovianum Pontanum, potius quam Horatium, Quattronius est sequutus.

Quae quum ita sint, eum facile praeclarum latinitatis magistrum in Bruttis post Vitriolum esse eiusque nomen una cum Paturio, Assuma, Moscato iure meritoque mansurum puto. Optime ergo Quattronus consuluit, qui, veluti memoriae causa, omnia sua scripta, ne tempore penitus perirent, hoc volumine collecta Reginis Iul. litteratisque viris omnibus tradiderit.

Ios. MORABITO.

FRANC. GERACI, *Lucio Apuleio Madaurensis oratore, avvocato e conferenziere, con pref. di Genuzio Bentini (Rhegii Iulii apud A. Giuli, 1935-XIII — Ven. lib. 11,75).*

Quamquam haud sane pauci de L. Apuleio Madaurensi, nostris quoque temporibus, alii alia inquirentes, conscripserunt, perpauci tamen, atque ii neque fuse neque abundanter, quod ad ius et artem dicendi attinet, attigerunt. Hoc novum quidem opus sibi conficiendum suscepit Franciscus Geraci, vir facundus litterisque egregius idemque doctus iurisperitus, qui causis agendis Rhegii in Calabris operam navat. Optime quidem et laudabiliter. Quis enim de Apuleio sese de magia reum defendente scribere poterat, nisi qui et Romanorum iura bene calleret et magno tribunalium usu emineret, litterarumque latinarum apprime scitus esset? Quae omnia in Francisco Geraci mirum in modum inveniuntur.

Hoc opere, quamquam auctor loqui consti-

tuit de apuleiana arte dicendi, recitandi, litteraque defendendi, tamen, ut par erat, de incusatione magiae eiusque defensione sermonem longius producit, illud inquirens, unde vere incusatio orta sit, quae maioris momenti capita fuerint, quique summus orator se tam studiose defendenter, ut suos detractores clara facundia fulminaret et risu dignos omnibus efficeret. Antequam vero de his omnibus auctor pertractet, quaecumque scire velis exponit, sive de nomine sive de patria, num vere magus fuerit et magus habendus sit, quid priscis temporibus magiae nomine maiores complexi sint, quae denique ad tantum crimen coercendum leges, quaeve convictorum poenae fuerint, aliasque huiusmodi quaestiones.

Tam magnam rerum disquisitionem nemo adhuc componere ausus erat, summaque laus tribuenda est Francisco Geraci, qui opus conscripserit quod nesciam an melius tam bene conscribere potuerit merus bonarum litterarum doctor, qui iuris romani scientiam usumque fori minus haberet. Cuius scriptoris liber, nimia cum facilitate vel, sic dixerim, cum quadam levitate, at non sine magno labore exaratus, perutilis omnibus esse potest, etiam iis, immo iis praesertim, qui data opera litteris latinis tradendis vacant. Summae igitur grates habendae sunt docto iurisperito, qui in tantam lucem tantum romanum iurisperitum protulerit.

Non sine magno labore opus dixi exaratum, etiam si prima facie hoc minus pateat, quod plene videas, si tantum adnotaciones quamplurimas singulis partibus adiectas inspicias,* in quibus modo illud solum auctor indicat unde res de promptae sint, modo autem quod iam in libro attigerat fusius pertractat locosque demonstrat e quibus quisque uberiorem argumenti notitiam sumere possit. Ex his adnotationibus apparet quot libros sive veterum sive nostrorum temporum de variis rebus agentes Geraci versarit, quaque tum iuris romani cum latinarum litterarum imbutus sit cognitione.

Satis omnibus constat huius aetatis patronos quoad anni vigescunt, non nunquam et fabulis milesiis et versibus lyricis et actionibus dramaticis indulgentes tempus terere; nemo unquam, quod quidem sciā, gravem iurisperitum videbat horis subsecivis labori doctrinae eruditioisque pleno de litteris latinis operam ita navare, ut Geraci nostrum.

Eoque magis est laudandus cohortandusque ut, quod opus de Plinio sese conjecturum promisso videtur, hoc, si nondum inceperit, quamprimum eadem constantia ac labore, conscribere aggrediatur.

Messanae.

Ios. MORABITO.

LIBRI DONO ACCEPTI

FRANCISCI QUATTRONE Opera omnia (Rhegii Iulii ex off. typ. F. Morello, MCMXXXVI. — Ven. lib. 40).

Anthologia poëseos Bohemicæ latinis numeris aptatae. — Appendix: *Alienigenarum poëtarum carmina latine redditæ.* Edidit FR. PALATA. (1936, Treric in Moravia venundat bibliopolium Henrici Lorenz. — Hecsova — pr. 24 kē).

Lebendiges Latein in modernen Briefen aus den verschiedensten Gebieten der Gegenwart von KARL THIEME, 5 umgearb und erw. Auflage, besorgt von Prof. Dr. G. MARTEN. Leinen M. 2.50 (neu). — (Ferd. Dümmlers Verlag — Berlin und Bonn, 1937).

LUIGI COGNASSO, *Il latino per l'uso moderno.* — (Aug. Taurin. ex Societate Internationali Editrice. — Ven. lib. 5).

Id. *Colloquia latina* (Indidem, ven. lib. 8).

FRANCESCO LA CAVA, *Ut videntes non videant:* il motivo e lo scopo delle parabole nel Vangelo. — (Romae, edid. Marietti, 1934. — Ven. lib. 4).

Id. *Ne quando convertantur,* Lettera al M. R. P. Langrange sullo scopo delle parabole, con un Appendice. — (Indidem, 1935. — Ven. lib. 2).

Id. *Una lettera di Sant'Isidoro Pelusiota.* Nuove considerazioni sullo scopo delle parabole. — (Florentiae ex off. Ariani, 1937-XV).

Mors laniata. Carmen JOSEPHI FAVARO Patavini Med. Doctoris, Anatomæ normalis professoris ordinarii, in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum Amstelodami, an. MCMXXXVI (Mutinae ex off. Immaculatae Conceptionis, MCMXXXVII/XV).

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen., Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. Iosephus FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS